
Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Ephort. Phil.

Henrici Nicolai

1. Natalitia, Editio 2da.
2. Passionalia.
3. Paschalia.
4. Pentecostalia.
5. Michaelia.
6. Tractatus de Magicis Actionibus.
7. Tr. de Causa per Accidens.

Add 1.

D. O. M. A.

NATALITIA.

Hoc est,

De

NATIVITATE

Domini & Salvatoris Nostri

JESU CHRISTI,

Ejus Antecedentibus, Connexis, Consequentibus, Festoq; Natalitiorum, Circumcisionis, Epiphanias, Purificationis, & similibus,

EXERCITATIO SCHOLASTICA

Singularis.

Varias quæstiones Theologicas, Chronologicas, Historicas, Physicas, & Philologicas, breviter ac Scholasticè repræsentans.

Authore

HENRICO NICOLAI,

Phil. & Theologo. Apud Gedanenses Professore.

Editio secunda, ab Authore revisa, auctior, Correctior, accuratior.

DANTISCI. Typis VIDUÆ GEORGII RHETII.

Anno à partu Virginis Matris, M.DC,XLVIII.

.1.

D. O. M. A.

NATALITIA

Hoc est,

De

NATIVITATE

Domini & Salvatoris Nostri

JESU CHRISTI,

Ejus Antecedentibus, Connexis, Consequentibus, Festisque Natalitiorum, Circumcisionis, Epiphaniae, Purificationis, & similibus.

EXERCITATIO SCHOLASTICA

Singularis.

Variis quaestiones Theologicas, Chronologicas, Historicas, Physicas & Philologicas, breviter ac Scholastice repraesentans.

Authore

HENRICO NICOLAI,
Phil. & Theologo, Apud Gedanenses Professore.

Editio secunda, ab Authore revisa, auctior, Correctior, accuratior.

DANTISCI, Typis Viduae GEORGII Rheti,
Anno à partu Virginis Mariae, M.DC.XLVIII.

NATALITIA.

Hoc est,

De Nativitate Domini & Salvatoris nostri

JESU CHRISTI,

EXERCITATIO SINGULARIS.

Quæstionum qvarundam brevem ac Scholasticam elucidationem repræsentans.

THESIS I.

NAtalium annuas reversiones solemni *festivitate recolere antiqvitùs usitatum, ne nostris qvidem moribus & temporibus in desuetudinem abijt, Postqvam &* Vetera *imitari decorum, & ex* illis *in nostros usus quædam decerpere honestum censuimus.* Pharao *Aegypti Rex*, Gen. 40. v. 20. Antiochus Epiphanes *Syriæ Rex*, 2. Maccab. 6. v. 7. *Herodes Iudææ Tetrarcha*, Matth. 14. v. 6. Marc. 6. v. 21. *Persæ & Medi Natalia celebrârunt, Vt* Plato in Alcibiade, Xenophon in pæd. Cyri, Athenæus l. 4. *testantur. Eqvites Romani natalem Augusti biduo celebrârunt.* Sueton. in Aug. C. 57. Herodiani *Natalem* Herodis Magni *celebrârunt.* Casaubonus Ex. 15. f. 1. *De Veteri more* Juvenalis sat. 11. Moris erat qvondam festis servare diebus, Et Natalitium cognatis

ponere lardum. Virgilius in Bucol. Phyllida mitte mihi, meus est natalis, Jola. *Cui similia* ap. Plautum in Pseudolo, Martialem l. 3. Herodotum l. 1. & 9. aliosq; *reperias. Hodiernum morem idem servare experientia nostri temporis testatur.* Licitene id Christianis fiat, *quæri solet. In negantem* Pererius in C. 40. Gen. n. 11. Chrysostomus hom. 49. in Matth. Origenes hom. in Levitic. *aliiq; inclinant. Ac prout communiter* Natales *celebrari solent, epulis, comessationib. luxurie, lascivia, choreis, scurrilitatibus, petulantiâ, crudelitate, non licitè illi* Christianis *celebrari possunt. Sic enim Impij Natalitia celebrare solent, ut* Pharao & Herodes *olim fecerunt, & infelix interdum talium celebrationum exitus esse solet.* Salvium Coccejanum, *quòd* Othonis *Imperatoris patrui sui diem natalē celebrâsset,* Domitianus *occidi jussit.* Sueton. in Dom. §. 10. Considius Proculus *Natalem diem celebrans in curiam captus, pariterq; damnatus & interfectus sub Tiberio est.* Tacit. 6. Ann. c. 3. *De* Bruti *Natali & omine non satis felici* Valerius M. l. 1. c. 5. legi *potest. Christianus* Natales *rectè piis precibus celebrabit, non comessationibus, & temperantiâ, non luxuriâ.* Dies enim nostræ nativitatis est dies humanæ fragilitatis: & nasci in mundum est in omnis miseriæ induci theatrum. Gratiæ *sunt DEO agendæ pro vitalis auræ concessâ usurâ, ac beneficiis ab ineunte ætate exhibitis.* Rogandus *est, ut præterita tegat, præsentia regat, & futura secundet.* In Natali etiam die *cogitandum de emortuali, ac ut is æternæ lucis natalis sit, optandum & procurandum est. Qua de re* Augustinus l. 2. d. Ord. c. 1. Ambrosius Epist. ad Felicem Episc. Comensem, *quædam habent.* Ille *etiam occasione* Natalis *librum de beatâ vitâ se scripsisse refert* l. 1. Retract. cap. 2. *Apud* Veteres dies martyriorum Genethlia ac Natalitia *vocati sunt, quòd in illis Martyres à morte in vitam verè vitalem, & dolore ac labo-*

ac labore in voluptatem & qvietem transferrentur, de qvo Eusebius l. 4. Et Chrysologus serm. 120. seq. alyq; *legi possunt.*

2. *Qvidqvid autem* de hominum Natalibus *celebrandis sit,* Unus *in Orbe* hominis alicujus DEI & DEI hominis Natalis *est, qvem perpetuâ festivitate meritò omnes Christiani devotè qvotannis recolunt,* Salvatoris nostri Jesu Christi *Natalis. Hic enim iste* Natalis *est, in qvo editus is, per qvem salus nobis reducta, annuntiata, oblata, collata, confirmata, & obsignata est, ac qvotidiè adhuc confertur. Cum extra hujus Servatoris nomen in nullo alio nomine salus nobis evenire possit.* Act. 4. v. 12. *De hoc verè dici potest cum* Davide, Hæc est dies, qvam fecit Dominus, Exultemus & lætemur in eâ, Psalm. 118. v. 24. *Est hæc dies sanctificabilis, venerabilis, salutaris, memorabilis, admirabilis. Est* dies lætitiæ in ortu regali: Nam processit hodiè de ventre virginali, puer admirabilis, totus delectabilis, in humanitate, &c. *ut S. canit Ecclesia.* De isto Natali, *qvem aliàs in Ecclesiâ cum Ecclesiâ recolimus, Scholasticè per theses aliqvot nonnulla dicturi, ut* ordine aliqvo *in totâ* Tractatione *procedamus, ac cancellos, qvibus* Tractatio *coërceatur, designemus,* Distinctè de Antecedentibus, Connexis, & Conseqventibus Nativitatis Christi *nonnulla trademus, & qvalia in qvæstionem hic venire qveant, movebimus, ac qvid commodissimè de illis sentiri qveat, brevi decisione,* juvante nato Servatore Nostro J. C. *subjungemus. Prout* istis tribus membris *maxima* singularium thematum Tractatio ordinata *absolui solet.*

3. *Priusqvàm ad constituta pergamus,* Definitio aliqva Nativitatis Christi *præmittenda fuerit, ut commodius lumen toti rei tractationi præferatur.* Nativitas nempè Christi est Nativitas humana, extraordinaria & supernaturalis, qvâ homo DEUS & DEUS homo de Spiritu S. conceptus ex

virgine Mariâ prædicto â Prophetis tempore in lucem editus est, Mediator DEI & hominum in causâ ſalutis futurus, & â maledictione legis ac irâ DEI mortales liberaturus. Definitionis explicatio & partes *ex ſacris abundè patent, ſi explicari neceſſum ſit.* Nativitas dicitur, *h. e. generatio ſ. origo, proceſſus, & egreſſus ſubſtantiæ viventis ê vivente cum eſſentiæ communicatione. Talis enim generatio propriè dicta & univoca eſt, qvalem hic intelligimus. Cæteræ æqvivocæ & impropriæ ſunt, ut poſt patebit, Et hujus loci non ſunt.* Humana, *qvia ejus terminus homo eſt, qvi per eam ortus, etſi non merus homo ſit. Vt diſtinguatur ab eâ generatione, qvæ non ad hominem, ut ad terminum fit.* Universìm enim generationem exhauriendo, vel ſupernaturalis & myſtica ea eſt, vel naturalis & Phyſica. Supernaturalis, *qvæ in Circo ſupernaturali per ſupernaturalem vim procedit.* Eſtqvè propria & impropria. Propria, *qvà Deus ex ſubſtantiâ ſuâ ante ſecula & mundum filium ſibi proprium & conſubſtantialem ineffabili modo genuit.* Pſal. 2. v. 7. *Vt communiter explicatur,* Prov. 30. v. 4. Mich. 5. v. 2. Hebr. 1. v. 5. C. 5. v. 5. *Ac faceſſat hic metaphorica filii DEI ex Patre generatio, qvam* Moltherus aliiq; *introducunt, Cum propriiſſima ſit proprietate Rhetoricâ ac Grammaticâ, etſi Phyſicam generationem multum transcendat: Nec ſtatim, qvod proprium eſt, Phyſico æqvipollere tenetur:* Vel *de Spiritu S. ex Mariâ virgine Chriſtum filium ſuum ſecundùm carnem in tempore produxit,* Matth. 1. Luc. 2. *Vtraq; admirabilis & ineffabilis eſt.* Qvid ſit naſci, qvid proceſſus, me neſcire ſum profeſſus, *Cum pio Scholaſtico* Holcot, *ſæpè dicendum erit. Punctum affixi maſculini ad* ה *qvieſcens* Gen. 49. v. 10. *id innuere creditur, Vt in tanto myſterio qvieſcere addiſcatur.* Ap. Tarnovium l. 2. Ex. Bibl. Claſ. 1. t. 1. Impropria, *qvà ſpiritualiter per verbum ſibi fideles in Chriſto gignit, ut filÿ*

ſui adop-

sui adoptivi sint, eiq; serviant. Zacch. 9. v. 17. Joh. 1. v. 12. 13. 2. Cor. 6. v. 18. Ephes. 1. v. 5. 1. Pet. 1. v. 23. 1. Joh. 5. v. 4. Jacob. 1. v. 18. Vel extraordinariè *qvosdam in temporalem aliqvam prærogativam arrogat, qvi inde filij ejus dicuntur. Qvomodo* Israël *primogenitus ejus filius dicitur,* Exod. 4. v. 22. 23. Jerem. 31. v. 9. Hos. 11. v. 1. Naturalis, *qvæ in Circo Naturæ per Vim naturæ procedit.* Estq; *etiam* propria & impropria. Propria, *qvæ in ejusdem speciei communicatione consistit.* Hæc vel plantalis, *qvà planta producitur, Vt cum arbor arborem, frutex frutiiem sui generis gignit:* Vel animalis est, *qvà animal oritur.* Hæc vel brutalis est, *qvâ brutum producitur, ut cum leo leonem, Canis Canem gignit:* Vel humana, *qvâ homo gignitur. Talis nostra nativitas est, qvà Christus homo genitus est, qvæ humana dicitur, qvia* ex homine, ad hominem, in homine, propter hominem, cum homine, & circa hominem est, *ac hominis alicujus est, non plantæ vel bruti, etsi extraordinaria & supernaturalis sit, ut antè dictum.* Impropria & prorsus æqvivoca, *qvæ inter diversas rerum species est, ut cum Sol ranam, murem, scarabæum, ex putredine producit. Hæc huc non pertinet.*

4. Definitione præmissâ *Veritas Nativitatis Christi ex V. & N. T. abundè constat, & hodie â Christianis omnibus conceditur, etsi olim â qvibusdam negata fuerit, Vt jam ex Ignatii Ep. 1. ad Mariā &* 4. ad Tarsenses *patet, ubi fugiendos eos dicit, qvi Christi passionem & nativitatem, qvâ secundū carnem genitus est, negant, & multos hoc morbo laborantes esse addit. Sed* primum *in Tractatione nostrâ* Membrum Antecedentia Nativitatis Servatoris nostri *continebit.* Qvæ hic ea sunt, qvæ tempore nativitatem ipsam antecesserunt. *Qvalia distinctionis gratiâ* in Biblica & Ecclesiastica *partiri possumus.* Biblica *sunt, qvæ in Biblico Codice expressa sunt,* Hæc vel in V.

vel N.

vel N. T. *continentur*. Ex Veteri *triplicia hic esse possunt*: Vaticinia, Typi s. figuræ, & historię nonnullæ. *Ex vaticiniis primum est Classicum illud* Gen. 49. v. 10. Non auferetur sceptrum de Judâ, &c. *De qvo qværitur*, an de Mesśiâ id agat, ejusq; ortu, nativitate, & nativitatis tempore? Et, an de Christo hæc verè explicentur? Et qvid per Vocem sceptri hic intelligatur? *Antecedens* Judæorum *qvidam negant, ut evidentiam Prophetiæ effugiant aut eludant. Et qvidam* de Davide *primo rege ex tribu Judâ explicant*, alij *de Vrbe Silo in tribu Ephraim, ubi arca fuerit*, alij *de Saule Rege*, alij *de Prophetâ Silonite Ahiâ*, 1. Reg. 11. v. 29. *Nabuchodonosore mittendo*, alij *de alto explicant*, ap. Galatin. l. 4. d. arc. C. 4. *Sed hæc vanissima esse* partim artificiali argumento *constat*, *qvia nempe* Jacob *de eo loqvitur*, *Cui obœdientia populorum erit. Hæc autem non tanta vel in Davide, vel Nabuchodonosore, vel Silo urbe fuit, ut peculiariter* â tanto Patriarchâ morti vicino, testamentum condituro, & emphaticè suis ac posteris eorum eventura per spiritum Prophetiæ prædicturo, *memoranda fuerit, sed Mesśiâ, Cui omnes populi servierunt, & qvem reges terræ adorârunt*, Psal. 72. v. 8. seq. Partim inartificiali, *ut testimonio* Paraphrasium Chaldæarum, Ut Onkelosi, Jonathanis, & Hierosolymitani, *qvæ immotæ apud omnes* Judæos *authoritatis sunt, & omnes de* Mesśiâ *reddunt, &* Rabbinorum *doctissimorum, qvibus Judæi refragari non possunt, qvalia apud* Helvicum T. 4. Gies. d. 12. & J. Mart. l. 3. de trib. Elohim c. 9. seq. Waltherum Ex. Bibl. p. 1. p. 5. seq. vide. De Christo *autem verè hæc explicari complementum historiæ apertè docet. Erat enim tùm sceptrum â Judæis ablatum, cum Romanorum imperio subditi esse, & tributum pendere cogerentur. Sivè enim* Herodes *Rex tempore Christi Judæis imperans alienigena, sive Judæus fuerit, de qvo* §. 15. *Regnum tamen*

ejus,

ejus, qvo fungebatur, Romanum erat, & Romano nomine ac authoritate â Romanis administrabatur, ac Herodes ipse summum Synedrium Hierosolymitanum, maximæ apud Iudæos authoritatis, funditùs extripârat. Sicq; regnum â Iudæis omninò ablatum erat. Tùm autem natus inter cætera Christus, *& attributa Messiæ reliqva universa ipsi competunt. Verus ergò Silo & Messias ipse fuit.* Vocem a. שֵׁבֶט *sive sceptrum. s. virgam tribulem, sine aliter reddas, de qvo variant* Interpretes, *dignitatem aliqvam, excellentiam, & authoritatem tribus Iuda notare certum est,* V. 1. Chron. 6. v. 2. *qvâ & distincta illa, & regia ac ducalis tribus esse, & potestate aliqvâ instructa manere debet, etiamsi non semper illustri, donec Messias advenerit. Qvod & Vox* legislatoris, *gubernatorem aut directorem qvemcunq; notans, innuit, qvæ Voci sceptri subjuncta est: Et facto ipso ita per duces post Captivitatem, & Consistorium Sanhedrim, Cujus præses semper de domo David fuit, usq; ad tempora Christi continuatum fuit,* Ut libri & Genealogiæ Hebræorum *docent. Christi autē tempore & eoipso anno, qvo Christ. incarnatus est,* Herodes *Sanhedrin extirpavit, potestatem ad se rapuit, ac Romano nomine exercuit, sicq; gubernator verè de Iudâ ablatus fuit. Vt* plurib. alibi *docetur.*

5. Secundum vaticinium Psal. 110. v. 3. *est,* Ex utero ante Luciferum genui te, *ut Vulgatus vertit. Sed mendose, cum ex Hebræo,* ex utero ex aurorâ tibi ros generationis tuæ, *verti debeat.* Papistæ *qvidam Vulgatum defendentes audacter ipsum textum Hebræum corrigere, punctaq; ejus mutare audent.* Ut Bellarminus Comm. in hunc Psal. *Et alij.* Qværitur, de qvâ nativitate Christi locus loqvatur, an æternâ, an temporariâ ex Mariâ? Papistæ *ad priorem cogunt, præeuntibus* Patribus Græcis & Latinis *non unis, seqventib. etiam* Simlero & Gesnero: *Qvanqvā prorsus singulariter de gratiâ*

Christo homini communicatâ exponente Vatablo. Rectiùs *de posteriori accipitur, cum* Augustino in Psal. Justino Dial. cum Tryphone p. mihi 84. & Tertulliano l. 5. c. Marcion. Tarnovio p. 122. ex Biblicar. *hoc sensu: Ex utero ex aurorâ supernâ Spiritus S. ros nativitatis tuæ, proventus tuus occultus. Prout ros occulto & specialiter inexplicabili modo ex cœlesti impregnatione oritur: Sic tu mirabili modo ex impragnatione Spir. S. conceptus & natus es.* V. Matt. 1. v. 18. Luc. 1. v. 35. *Vel commodiùs adhuc de temporali in N. Test. & Spirituali fœcunditate* filiorum DEI *accipitur, quòd instar roris matutini mysticè & copiosissimè illi ex Christo generandi sint, qvomodo ros occulto modo oritur, totamq; terram tegit,* V. 2. Sam. 17. v. 12. *Non de ullâ* Christi ipsius *nativitate. Quomodo* & Lutherus *ad illum sensum reddidit,* **deine Kinder werden dir gebohren/** *Et* Bugenhagius, Heshusius, Tremellius, aliiq; *exponunt, ac contextus ipse satis concinnè admittit.*

6. Tertium Mich. 5. v. 2. est, *Vbi exortus Messiæ* inde à principio à diebus seculi esse plurali numero *dicuntur. Quæritur*, de quâ Chrsti nativitate hoc accipiendum? Photiniani *de humanâ accipiunt, & divinam negant, quam absurdam censent.* Vide Socinum libro, quòd Evangelici, p. 34. Ostorodum C. 7. Instit. §. 1. Smalcium l. 2. d. error. Arianor. C. 17. aliosque. Alii *de utraq; intelligunt, quòd plurali numero exortus vel generationes dicantur.* Alii *de variis Christi sub V. T. apparitionibus & manifestationibus, Vt* Junius & Piscator in h. l. Alij *de divinâ tantùm accipiunt. Et hoc* rectissinè. *Hæc enim propriè ante principium rerum, & ante dies seculi esse dici potest, & particula* מ *optimè per ante redditur, ut in sacris interdum fit.* V. Prov. 8. v. 23. 24. Psal. 90. v. 2. Ps. 93. v. 2. *Cum humana nativitas in tempore facta.* Plurali autem numero *Propheta usus est* ad excellen-

cellentiam & æternam continuationem *divinæ istius generationis notandam, quà velut æternâ propagatione perdurat, semper perfecta, semper continuata.* Antesecularia *enim & longè tempus transcendentia omnibus temporarijs coëxistunt, & sic multis eorum unitate & nobilitate sui æquipollere possunt.* Vt Dec. 1. Miscell. d. 1. t. 42. *ostensum. Vnde* Scriptura *æterna interdùm plurali numero describit, cum unica sint: Et in rebus maximis plurali pro singulari uti solet.* Psal. 88. v. 7. Prov. 9. v. 1. Job. 40. v. 10. Tren. 3. v. 22. Rom. 12. v. 1. *Et alibi.*

7. *Sic* Vaticinia *fuerunt: Sequuntur* Typi & figuræ. Primus typus Manna Israëlitarum *divinitùs subministratum in deserto per 40. annos est: Quod analogiam ad Christum spiritualem panem & cœlestem, multiplicem habuisse* Tract. d. Pane f. 2. §. 11. *ostensum. Hic breviter generationem & productionem ejus typicè notasse generationē Christi ex Mariâ dicendum, ejusq; analogia deducenda.* Ut ergò Manna ex materiâ cœlesti purisſimâ, occulto modo, divinâ vi, *ingente copiâ & abundanter* omnibus Israëlitis suppeditabatur: *Sic Christus ex Spiritus S. conceptione, purissimo Virg. Mariæ semine & sanguine, modo supernaturali, cœlesti, & admirabili, divinâ virtute, omnibus omninò hominibus, copiosè & abundantissimè quantum ad primam Dei intentionem & rei ipsius efficaciam est natus & datus, tanquam vera lux omnem hominem illuminare debens, in hunc mundum venientem,* Joh. 1. v. 9. *Etsi quantum ad fructum & eventum facto ob malitiam hominum paucis ea efficacia salutariter applicetur. Tenebræ enim non recipiunt istam lucem,* & homines magis dilexerunt tenebras, quàm lucem, v. 5. & C. 3. v. 19. V. loc. citat. Secundus typus Virga Aaronis *fuit, unâ nocte divinitùs fæcundata & amygdalas ferens.* Num. 17. v. 8. Tertius generatio Simsonis, Jud. 13. *Inter quem & Christum multiplex analogia institui potest,* partim *in Nativi-*

tatis prædictione, partim *nativitatis constitutione*, partim *in vitâ & rebus gestis*, partim *in morte, eventu, exitu, & Consequentibus, Vt* alibi *copiosiùs deducitur. Vnde quòd* Christus *Nazarenus vocandus dicitur*, Matth. 2. v. 23. *ad* Simsonis *historiam alluditur, qui verus Nazaræus Dei fuit*, Judic. 13. v. 5. *Et cui Christus in variis rebus similis fuit. Eoq; dictum id & typicè de Simsone, & antitypicè de Christo explicandum est, ut & in aliis id contingit*, Ut Matt. 2 v. 15. Joh. 19. v. 36. Ut alibi *pluribus*.

8. *Sic &* typi *fuerunt. Restant* historiæ, *quæ ad Nativi. Christi respectum aliqvem mysticum continuisse putari possunt. Talis est historia Creati Adami*, Gen. 1. *qvi in multis typus Christi fuit, ut secundi Adami*, 1. Cor. 15. v. 21. 22. 25. 47. *Nati Caini, in qvo Virum Dominum, promissum illud mulieris semen*, Gen. 3. v. 15. *se habituram Eva gloriabatur*. Gen. 4. v. 1. *Et nati Noachi, in qvo solatium Lamechus expectabat*, Gen. 5. v. 29. *Nati item Isaaci & Iosephi*, Gen. 21. & 30. *Salomonis & Simsonis*, Jud. 13. & 2. Sam. 12. *Inter qvos & Christum variæ analogiæ assignari possunt, si copiosè omnia deducere animus esset. Conf.* Glassium lib. 2. Phil. sacr. Tr. 2. s. 4. art. 5.

9. *Sic* Antecedentia *ex V. T. fuerunt. Seqvuntur* ex Novo. *Talia sunt, Annuntiatio de Nativitate hac Mariæ per Angelum facta*, Luc. 1. v. 26. *Visitatio Mariæ ad Elisabetham*, v. 39. *Nativitas Iohannis Baptistæ*, v. 57. *Desponsatio Mariæ Iosepho facta*, Matth. 1. v. 18. *Profectio Mariæ cum Iosepho ad Bethlehem, ut ex edicto Cæsaris ibi censerentur*. Luc. 2. v. 4. *De qvib. omnibus varia moveri possunt, nisi hic per breviora procedere consultius visum esset.*

10. *Sic* Antecedentia Biblica *fuerunt: Restant* Ecclesiastica, *qvæ ex Historicis aliis, qvàm Biblis, sunt desumenda.*

Talia *Sibyllarum vaticinia de Nativitate Christ. sunt. Sed multis tota hæc res est suspecta, qvòd fermè clariùs mysteria Evangelica prædixissent gentiles Sibyllæ, qvàm divini Prophetæ, cum tamen ante Christum mysteria fidei fermè obscuriùs traderentur. Vnde à Christianis horum multa conficta esse arbitrantur.* Alii *tamen contrà sentiunt, & pro veris ea habent. De qvo* Eras. Schmidt pecul. tract. de Sibyllis, Casaubonus ex. 1. §. 10. 11. & ex. 2. §. 8. co. Baronium, Frantzius d. interp. script. f. 12. Gerhardus, Rivetus, Peucerus, Delrius, aliiq; *legi possunt.* Item *Oraculum Apollinis Delphici occlusum, fama de magno DEO nascituro ap.* Tacit. 5. Hist. c. 3. *Romæ imago virginis puerum gestantis visa, & tres Soles apparentes, Augustus se Dominum dici vetans, & 30000. servos libertate donans, & similia. Qvæ etiam commenta esse,* & ad necem Cæsaris, Augusti imperium, Antonii cladem, ac similia, *tanqvam prodigia pertinere, ac ab Ecclesiasticis scriptorib satis interdum fabulosis,* Eusebio, Nicephoro, Orosio, Platinâ, *ad Nativi: Christi rapta esse* Idem Casaubon. ex. 1. §. 12. *ostendit. Nec magnoperè stringunt, qvæ* J. C. Bulengerus *in contrarium adduxit. Et qvædam fabulosa ac à tempore divertentia esse* Baronius in Ann. & Barradius in harm. lib. 8. C. 13. *fateri coguntur.*

11. *Ita* Antecedentia Nativ. Christi *fuerunt: Seqvuntur* Connexa, *qvæ hic ea, qvæ tempore simùl cum eâ, aut non multò post eam contigerunt. Talia ordine distingui possunt,* Ut qvædam Matrem, alia Natum, alia Spiritum S. alia tempus & locum Nativitatis, alia gesta qvædam circa eam vel paulò post factam observata, *attinere dicantur.*

12. *Qvæ* Matrem *concernunt, hæc esse possunt.* 1. An ex Virgine nasci debuerit Christus? Judæi *pertinaciter negant. ap.* Authorem flagelli Jud. & Galatinum lib. 7. C. 14. 15.

 Sed

Sed Es. 7. v 14. *apertè scriptum est. Et vocem* Almah *semper puram & incorruptam Virginem notare*, partim *derivatio ejus ab* עָלַם, *occultavit, Occultabantur enim Virgines apud Iudæos, nec in publicum prodibant*, 2. Macc. 3. v. 19. Partim *Concordantia Hebræa docet, in qvâ nusqvam aliter sumitur, nec exemplum in contrarium invenitur, nec locus* Prov. 30. v. 19. *adversatur, qvi optimè de purâ Virgine explicari potest, Cui insidietur mirabilibus modis Vir, Iuvenis, Maritus, adulter, Vt insidiarum media vix cognosci aut recenseri possint, nec tamen defloratam esse necessum sit; Vt* alibi *pluribus*. 2. An in partu Maria verè Virgo manserit? *Hoc ex* Esaj. c. l. Matt. 1. v. 23. & Luc. 1. v. 34. 35. *satis patet. Et blasphemè id* Ebionæi, Cerinthiani, & Carpocratiani *negant, ac ex coitu Iosephi Christum natum dicunt* ap. Irenæum l. 3. C. 24. 3. An utero clauso pepererit, an aperto? *Qvæstio de* modo Nativitatis Christi *est, qvi ad ipsam fidem non pertinet, dum è Virgine natum confiteamur. Scriptura hic tacet, & Patres diversi sunt. Evangelistæ vulgariter nativitatem Christi narrant, & extra Scripturam non temerè sunt fingenda miracula. Nec apertio uteri virginitatem tollit, sed coitus & viri cognitio,* Judic. 11. v. 39. C. 21. v. 12. Luc. 1. v. 34. V. Tra. d. ess. alic. s. 4. §. 89. 4. An & post partum perpetuò Virgo manserit, ex voto virginitatis præstito? *De votis virginitatis Scriptura nihil habet. Mariam perpetuò Virginem mansisse credibile est, non tamen omninò certum, & res ipsam fidem etiam non concernit, sed historicam qvæstionem.* Helvidius, Joviniani, Ebionæi, Eunomiani, *olim negârunt ex particulâ donec, & qvòd primogenitus Mariæ Christus dicatur,* Matt. 1. v. 25. V. Euseb. l. 3. Hist. Eccl. C. 24. Epiphan. l. 1. hær. 28. 30. Samosateno idem tribuit Pol. Virgilius l. 8. C. 4. *Qvanqvam id incertum sit.* Sed neutrum *qvidqvam probat, ut usus Scripturæ in talibus ostendit.* Gen. 8.

v. 7.

v. 7. 1. Sam. 15. v. 35. 2. Sam. 6. v. 23. Exod. 4. v. 22. Coloss. 1. v. 18. Heb. 1. v. 6. Apoc. 1. v. 5. 5. An verè in utero Mariæ formatus Christus, an circa Cor? *Hoc* Ptolomeus qvidam Lucensis *deliravit An. 1503. ap.* Osiandrum C. 16. & Baleum d. Pontif. *Sed contra Scripturam, qvæ* ἐν γαςϱὶ *habuisse eam dicit* Matth. 2. v. 18. Luc. 1. v. 31. *Et Naturam Conceptionis id est, ut* alibi *docetur*. 6. An verè ex familiâ David fuerit, ut ob eam & Christus verè ex istâ tribu ortus sit? Photiniani *negant*, ut Smalcius l. d. divin. Christ. c. 3. & refut. Smiglecij par. 2. C. 18. Item gentiles, ut Julianus, Celsus, Porphyrius, & Manichæi, ut Faustus, aliiqvè. *Sed Scriptura expressè Christum ex Iudâ ortum dicit*, Gen. 49. v. 10. Hebr. 7. v. 14. *Et ex semine David esse ait*, 2. Sam. 7. v. 12. Psal. 123. v. 11. Luc. 1. v. 32. Rom. 1. v. 3. *Qvod aliter nisi per matrem fieri non potuit, cum ex Iosepho ortus non sit. Ipsi etiam* Photiniani *ex tribu Iudâ eum esse confitentur, ut* Smalcius p. 2. refut. c. Smiglec. c. 17. p. 152. *Ac multorum* Patrum *constans hæc est opinio, ex regiâ tribu fuisse. Qvanqvam* alii *ex Levi esse potuisse existimant, ut* Casaubonus ex. 1. §. 13. c. Baron. *notat. Qvod tamen* Scripturæ *conveniens non est, ut visum.*

13. Qvæ Natum *attinent, seqventia esse possunt.* 1. An naturalis & essentialis DEus sit, qvi ex Mariâ natus sit? Photiniani, *etsi verum, magnum, & benedictum in secula Deum eum esse fateantur, Vt ex* Socino cont. Wiek & Bellarm. animadversionib. Posnaniensib. & defensionib. illarum, Smalcii c. Smiglec. Frantzium & Grauverum, Nicolaide cont. Miedzibozium, Catechismo Racoviensi majore & minore, Stegmanno, Crellio, aliisqve *patet: Essentialem tamen & naturalem Deum, & talem, qualis Pater sit,* ad unum omnes *negant, ut scripta eorum testantur*. V. Tract. d. esse alicubi, c. 4. §. 76. Verùm I. Omnis filius naturalis & propriè

dictus

dictus *Patri suo est coessentialis, vel ejusdem cum eo naturæ & essentiæ. Hoc inductio probat, aut instantia in oppositum detur. Sed Christus est Dei Patris naturalis filius, ut* Photiniani *concedunt.* Smalcius in exam. 157. error. p. 4. Et c. Nov. Mon. Arianis: C. 24. Socinus c. Wiekum c. 5. p. 211. 212. 219. Piscecius in notis ad append. Vilcovian. p. 20. aliiqve, *Et propriè dictus.* Rom. 8. v. 32. *Non metaphoricus, ut nos sumus. E. Patri suo coëssentialis. Non autem essentia specifica in DEO locū habet, qvod nos cum* Photinianis *fatemur. E. numerica, & ejusdem numero cum Patre est essentiæ, sicq; idem ille per Naturam, qvi Pater est, DEus est. Vel qvomodo in hac specialitate se res habeat, inter arcana Cœli repositum est, Ut* alibi *dicam.* II. Scriptura Christum talem Deum esse tradit, *qvi Cœlum & terram creavit.* Joh. 1. v. 3. Colos. 1. v. 16. 17. Hebr. 1. v. 1. *Et in hoc ultimo non* ad Patrem *acclamationem, sed* de Filio *explicationem & applicationem* Psalmi 102. *esse, Textus totus evidenter docet,* v. 8. 9. 13. *Nec de* Patre *loqvendi hic causa aut occasio ulla fuit; Cum in* Filij *eminentiâ deducendâ totus Author sit, ut ad hoc effugium recurrere in hoc loco admodùm frivolum sit. Sed talis Deus naturalis & essentialis est. Cui* Creatio *in sacris ita tribuitur, Ut nulli creaturæ unqvam adscribatur, semper de eâ negetur.* V. Job. 38. v. 4. Esai. 40. v. 26. 28. C. 42. v. 5. C. 45. v. 12. 18. Jerem. 10. v. 11. 12. Zacch. 12. v. 1. *Et in eo magnum citra Controversiam illud pietatis mysterium collocat, qvòd Naturalis ille DEus in carne manifestatus sit,* 1. Tim. 3. v. 16. *E. & Christ. essentialis DEus erit, aut aliqvid ad eum intimè pertinens, filius nempè ejus, naturam DEI participans, Ut splendor gloriæ & character substantiæ ejus,* Heb. 1. v. 3. 2. An promissus ille mundi Messias sit? *Hoc* Judæi *pertinaciter negant. Sed attributa & vaticinia omnia de Messiâ in V. T. prædicta in Christum appositissimè qvadrant, nec in*

ullum

nullum alium ita qvadrare à Iudæis ostendi possunt: Ac exhibiti Messiæ tempus dudum præteriisse finis 70. septimanarum Danielis C. 9. v. 24. *immatè ostendit, qvarum principium undecunq; ducas, supputatio dudum elapsas esse apertè ostendet.* V. Passional. th. 13. 14. 3. An ob mirabilem conceptionem & Nativitatem ex Virgine, Dei filius dicatur? *Sic omninò* Photiniani *volut*, Ut Socinus lib. suasorio, & Smalcius p.2. ref. Smiglecij, aliiq;. *Qvib.* & ex Reformatis Sohnius in Exeg. Zanchius l. 2. de Nat. Dei, c. 1. Et l. 1. d. 3. Eloh. C. 5. L. 2. C. 3. aliiq; *consentiunt, ex* Luc. 1. v. 35. *Sed Scriptura genitum eum ante secula docet*, Miche 5. Vide §. 6. *Et in principio Creationis jam apud Deum fuisse, ac omnia per ipsum facta esse*, Joh. 1. v. 23. Colos. 1. Hebr. 1. *Et à DEO in principio viarum, & a seculo, & ante terram fundatam possessum esse dicit*, Prov. 8. v. 22. seq. *Nec* Luc. 1 *ratio redditur, Cur* Chtistus *præcisè filius DEI sit: sed unde talis agnosci, vocari, & denominari à fidelibus debeat, qvòd nempe sit Emmanuel*, Esai. 7. v. 14. *Et τὸ ideò ad omnia præcedentia* v. 31. 32. 33. *respicit, in qvibus & ante secula filiatio, qvam è generatione Patris ante Mundum habet, includitur.* 4. Qvomodo Nativitatis terminus, an ut DEus, an ut homo, an ut ex utroq; compositus? *Propriè tanqvam suppositum ex utroq; DEo & homine, compositum, qvomodo actiones & passiones, ut nasci, generari, propriè suppositorum sunt. Hinc Immanuel vocatur, qvi genitus est*, Esai 7. v. 14. Matth. 1. v. 23. *Homo Deus & Deus homo natus est, ut subjectum* Qvod, *sed secundùm carnem, ut subjectum* qvo, Rom. 9. v. 5. *Hæc enim proximum receptivitatis in genitura est subjectum. Sic* homo *moritur ut qvod, sed* secundùm corpus *ut qvo, hoc n. mortis recipiendæ propriè capax, non anima.*

14. Qvæ Spiritum sanctum *concernunt, seqventia esse possunt.* 1. Qvomodo Conceptionis Christi author? Non *ut*

 materia,

materia, sed ut operans & efficiens: Non *ut Causa seminalis, sed virtualis:* Non *ut generans, sed ut jubens & benedicens;* Non *ut Causa materialis, sed ut potentialis, semen & sanguinis partes, unde* Christus *formandus in* Mariâ, *segregans, sanctificans, fœcundans, & fœtum delineans.* Virgini *facultatem sine Virili semine concipiendi dedit:* massam *materialem filij DEI depuravit & sanctificavit,* naturam *divinam humanæ ad unum suppositum adunivit. De Spir. S. est Christus, non ex illo: aut si ex illo, non ut ex materiali, sed ut potentiali, non generatione, sed jussione, benedictione, & fœcundatione. Hinc* Justinus *Christum humanum sanguinem non ex humano semine, sed DEI potentiâ habere ait, Vt vitis sanguinem non homo, sed Deus gignat, sic Christi sanguinem ex DEI virtute provenisse,* in dial. cum Tryphone. 2. Cur peculiariter Spiritui S. conceptio adscribitur? *Qvia* multa *peculiariter hic egit, ut* ante *visum: &* Conceptio ista *peculiare caritatis divinæ indicium est: Spiritus a. caritas DEi dicitur: Et naturas ut vinculum univit, Spir. a. S. etiam vinculum Patris & filij dicitur: Incubuit Mariæ, qvod Spiritui in Creatione tribuitur,* Gen. I. v. 2. *Et qvia digitus ac potentia DEI est,* Matth. 12. v. 28. Luc. II. v. 20. *Qvâ hæc conceptio peracta. 3.* Cur obumbrationis voce innuitur? Luc. I. v. 35. *Qvia Deus, lux incorporea, corpus velut umbram spectabilem in utero assumpsit, gloria divina in Christo velut umbraculo ostensa,* I. Joh. I. v. I. 2. *qvam in seipsâ homines ferre neqviissent: ac gratia per eum reducta, velut per umbraculum & refrigerium ab igne consumente nos conservans, ut in Christo contra iram Dei nobis propitiatorium sit.* Rom. 3. v. 24. 25. Hebr. 4. v. 16. 4. An Pater Christi ob eam conceptionem dici possit? *Huc* Photiniani qvidam & Vorstius *inclinant, qvod materiam Viri ad corpus Christi gignendum â DEO allatam in hac conceptione suppleverit.* V.

Smal-

Smalcium in exam. 157. error. Err. 18. & respo. ad 2. part. refut. Smiglecij c.17. Socinum lib. qvod regn. Polon. p.36. *Sed Sp. S. non materialis causa, sed efficiens hujus conceptionis fuit, ut* q. 1. *visum.* Pater *autem alicujus & efficientem & materiam præstat. Nec unqvam in sacris Christus Spiritus S. filius dicitur, qvomodo patrum filij dici solent: Nec ulla actio Spiritus S.* q. 1. *assignata,* Patris *proprietatem & appellationem importat. Ex Mariâ natum Scriptura Christum tradit,* Luc. 1. v. 35. *Et fructum ventris ejus appellat,* v. 42. *ac semen Abrahæ, mulieris, Davidis, & Abrahæ filium vocat,* Gal. 3. v. 16. Matth. 1. v. 1. *Nusqvam Spir. S. Unde* alij Photiniani *negant, patrem ejus dici posse.* V. Stegmann. in probâ, C. 2. p. 132. 133. Smalcium p. 161. c. Smiglec. Crellium l. 1. d. uno DEo, s. 3. c. 7. *Qvi Spiritus S. ad generationem Christi concurrisse,* non ut patrem ait, sed ut id, per qvod DEus pater generaverit.

15. Qvæ ad tempus Nativitatis *faciunt, seqventia erunt.* 1. Qvoto mundi anno Christus natus? *Mira hic varietas. Ex* Sylloge Historicâ *olim privatim traditâ, ubi ex sacris anni mundi continuati sunt, Nativitas Christi in annum M. 4042. incidet. Nam â condito mundo ad captivit. Babylonicam 3416. anni ex sacris colliguntur, Et ab eâ usq; ad Chr. natum 626. Qvi collecti 4042. annos faciunt, qvi est annus Mundi, qvo Christus natus.* 2. Qvoto Herodis anno natus? *Iterùm hic varietas.* Qvidam 30. *anno natum putant, ex qvo scilicet* Herodes *Rex Iudæa proclamatus & constitutus:* Alij 33. *ex qvo nempe actu confirmatus regimen exercuit. Satis est scire, sub Herode natum, etsi de anno non præcisè constet.* 3. Qvis Herodes iste & qvalis, an indigena & Judæus, an alienigena & Idumæus? *Trium* Herodum *in sacris est mentio. Hujus* Matth. 2. v. 1. *Secundi, qvi Iohannem Baptistam inte-*

 remit,

remit, Matth. 14. v. 10. *Tertij, qvi Iacobum occidit & Petrum vinxit*, Act. 12. v. 2. 3. Primus *cognomento Magnus itemq; Ascalonita dicitur*, Secundus *Antipas*, Tertius *Agrippa dicitur*. Herodes Magnus & Ascalonita *est ille, cujus tempore Christus natus est. Aliorum* Herodum *ap.* Josephum & Alstedium l. 2. præc. Theol. C. 116. *est mentio, sed obscuriorum*. Deinde *patriâ qvidem* Idumæus aut Ascalonita, *religione autem & moribus Iudæus fuit, qvorum legibus se accommodavit. Sed potestas & imperium ejus Romanum fuit, & ipse sævissimam tyrannidem in Iudæos & Synedrium Hierosolymitanum exercuit, ut ex* Josepho l. 14. antiqv. *constat, ut ex eo maxime Iudæis odiosus fuerit, acsi Ethnicus & omninò alienigena esset*. Conf. §. 4.

16. 4. Qvo Augusti anno Christus natus? *42. ut vulgò & maximè probabiliter sentitur, â primo nempe ejus consulatu numerando. Nam ab interfecto antecessore ejus, Iulio Cæs. 43. fuit. Eo enim & census iste universalis super totum orbem Romanum, actus, qvem simul in tempore notando* Lucas *adducit*, c. 2. v. 2. *Qvalis census universalis nunqvam antea contigerat. Et ita diversitas authorum hic conciliatur*. 5. Qvo mense & die? *Vulgò 25. Decembris putatur. Alij 6. Ianuarij, alij 25. Aprilis vel Maij, alij 24. Septemb. ut* Alstedius c. 21. Historicæ, §. 1. & Præc. Theol. c. l. *ponunt. Res incerta est, &* Scriptura *hic silet, nec hoc sciri ad fidem pertinet. Mediâ hyeme & Decembri non natum esse ex eo pateat, qvòd 30. annorum fuit, cum baptisatus â Iohanne est*. Luc. 3. v. 21. 23. *Baptisatus autem vere vel autumno est, non mediâ hyeme, ut circumstantiæ historiæ docent. Et censum Augusti super orbem mediâ hyeme, tempore incommodissimo, indictum fuisse* Luc. 2. v. 1. *non probabile est, sed verno aut autumnali tempori id potiùs convenit, qvod ad iter faciendum convenientius*. Qvidam *etiam* diem Solis *fuisse*

putant,

putant, ut Bellarmin. l. 3. d. cult. Sanct. c. 11. Alstedius c. I. Alij *Saturni, ut* Gislanius in lib. dubiorum, alij *Veneris, ut* Surius T. 3. Concilior. *Totum hoc incertum est*. 6. Qvomodo præside Syriæ Cyrenio natus, Cum Verus aut Saturninus tùm præsides fuerint, ut Josephus l. 17. antiq. c. ult. & l. 18. c. 1. notat, nec ullius Cyrenij sub nato Christo meminit? *Mira hic iterùm varietas*. Qvidam *sit reddendum putant: Priùs facta est hæc descriptio, qvàm Syriæ præf. esset Cyrenius. Sed nec* Græca *id ferunt: & longè aliter ad hunc sensum dicendum fuisset, nempe* πρῶτερον τȣ̃ ἡγεμονεύειν. Alij *aliter*. Tutissimè *dicitur*, Vel descriptionem hanc universalem fuisse, *& in Syriâ à Cyrenio illam procurante ad eamq; misso, factam, qvalis nunqvam antea sub* Augusto *contigerat, adeoq; primam talem fuisse*: Vel Cyrenium non qvidem ordinarium Syriæ præsidem *aut administratorem fuisse, nec provinciam rexisse, qvod* Sentius Saturninus *fecit, nec tributum sub eo solutum fuisse*: Sed extraordinarium ducem & procuratorem cum extraordinario imperio missum ad descriptionem capitum & censum faciendum, *h. e. fortunas & facultates Iudæorum describendas, Vnde generaliter* ἡγεμονεύοντα Lucas *vocat, qvod qvamvis superiorem potestatem notat, non præcisè præsidem. Et sic descriptio hæc sub* Cyrenio *prima fuit, qvia eo procurante & dirigente facta. Nam cum hæc scriberet* Lucas, *An. Christi 52. Vt Acta 60. vel 61. Vt putatur.* V. Pentecost. t. 33. *jam* duæ descriptiones *factæ erant. Hæc, & illa, cujus* Act. 5. v. 37. *mentio. Vt notaret, qvota hæc esset, primam, & sub Cyrenij extraordinariâ præfecturâ factam dicit. Hoc* Romanis *solemne erat, ita extraordinarios Procuratores mittere, ut ex* Justino Martyre, Tacito, ac Tertulliano *patet, &* alibi *copiosiùs docetur*. Josephi *authoritas non in omnibus infallibilis est, ut* alibi *pleniùs deducitur. Cumprimis in temporum assig-*

 nationi-

nationibus non semper sine errore est. Sic Cambysem 6. annos regnasse dicit, l. 11. Antiqvit. *Cum fermè octo annos regnârit. Templum Oniæ in Ægypto annis 333. stetisse dicit, cum vix 250. steterit, ut* Hieronymus in Danielem *testatur. Et Esaiam structuram istius templi 970. annis, anteqvam fieret, prædixisse ait,* 7. Bell. Judaic. C. 30. *cum vix 600. anni fuerint, ut* Chronologiæ *ratio docet. Neqve* Josephus *nati Christi, neq; Magorum advenientium meminit, & tamen ea reverâ tùm facta. Qvanqvam* C. 1. l. 18. *omninò de* Qvirinio *aliqva tradit* Josephus. *Etsi in eo fallitur, qvòd mortuo Herode factam descriptionem dicat. De rebus Christi parum aut nihil illi debemus, ait* Baronius T. 1. Ann. sub an. Chr. 34. n. 227. 7. Qvomodo totum Orbem Augustus describere potuerit, cum nunqvam toti imperârit, ut Parthis, Indis, Medis, Americanis, &c.? *Intelligitur per Synechdochen* Orbis Romanus, *qvi ad mentem Romanorum totus Orbis dicitur, qvia illi, ut superbissimi, totius Orbis & rerum Dominos se existimabant. Vnde* Poëta: Romanos Rerum dominos, gentemq; togatam. Conf. Pentecost. th. 46.

17. Qvæ ad locum faciunt, *seqventia erunt.* 1. Cur Bethlehemi præcisè natus, non Hierosolymis, aut aliâ celebri urbe? *Qvia prædictum erat à Prophetis,* Mich. 5. *Et solet Deus plerumq; contemnere, qvæ coram mundo gloriosa sunt, & eligere vilia,* 1. Cor. 1. v. 19. seq. David *etiam eodem loco natus erat, qvi insignis typus Christi, Et Cui hic in spirituali regno succedere debebat. Et spiritualis significatio panis cœlestis ad Bethlehem, qvæ domum panis sonat, & fœcundo solo in Iudæâ sita fuit,* ut Hierosolymæ, *à qva 2. milliaribus Meridiem versus disita fuisse scribitur,* granarium dicta fuerit, *aptissimè quadrat: Verè enim spiritualis & cœlestis panis Christus est, mundo vitam & merito, & efficaciâ, subministrans.* Joh. 6.

Joh. 6. v. 33. 50. Vt Tract. de Pane f. 2. th. 15. *ulteriùs dictū*. 2. An in urbe ipsâ, an extra urbem in speluncâ qvadam aut suburbiis natus, *ut qvidam tradunt*, Justinus, Eusebius, Cajetanus, Baronius? *In Vrbe. Hoc enim prophetiæ qvadrat*, Mich. 5. *Et Evangelistæ narrationi*, Matth. 2. Luc. 2. v. 4. 6. *Pharisæorum responsioni*, Matth. 2. v. 5. *Rei ipsius conformitati, ac Davidis præfigurationi respondet. Hic enim in Vrbe natus, & Christi typus fuit.* 1. Sam. 16. v. 1. C. 17. v. 12.

18. Qvæ gesta circa Nativitatem, aut statim post eam concernunt, *hæc sunt*. 1. An circa præsepe Christi bos & asinus steterint, & Chr. Dominum cognoverint? *Sic in Cantione*, Puer natus, *canitur*, *& â* Papistis *creditur. Sed Scriptura nil de hoc habet, & rei natura non fert. Loca* Esai. 1. v. 3. & Habac. 3. v. 1. *in alienos sensuus detorqventur.* Prior *de naturali bovis & asini cognitione agit, qvòd domum & præsepe heri sui novisse soleant.* Conf. Jerem. 8. v. 7. Posterior *habet*, in medio annorum opus tuum vivificas, *Vt &* Vulgatus *reddit, Non, in medio duorum animalium agnosceris, ut LXX. contra Hebræum textum reddiderunt.* Patres *interdum allegoricè hac de re loqvuntur, non ad historiæ veritatem, ut inqvirentibus patet.* 2. An fons in speluncâ, ubi Christus natus, eruperit, & casa Bethlehemitica Romam miraculosè translata sit? Papistæ *iterùm ajunt.* Cor: â Lapide *sanctam Bethlehem Hieronymo solicitè in Palæstinâ quæsitam, Romæ sibi inventã ait*, præfat. Comment. in Proph. Major. *Credo, ad casam hanc Romam translatam alludere. Sed* Scriptura *iterùm nil hic habet, & otiosorum hominum hæc commenta sunt, quibuscunq; modis illustrem Domini Nativitatem facere volentium. Quibus non fidem temerè adhibere, nec silente* Scripturâ *facilè miracula fingere, aut cogitare aut multiplicare debemus.*

3. Quo-

3. Quomodo pastores noctu apud greges esse potuerint, cum hybernale tempus fuerit, & nocturum frigus etiam in vere in Judæâ asperius esset, Joh. 18. v. 18? Vel *incertum, hyemale tempus fuisse*, §. 16. Vel *si fuit, hyems mitissima fuit, quomodo & in Angliâ, Belgio, Italiâ, per hyemem armenta sub dio manere solent*. Alij & *ad cyclum Lunæ recurrunt*, ut dec. 1. Mis. d. 2. t. 16. *adductum*. 4. Cur Christus natus omnium primò pastoribus innotescere voluerit? Quia partim *simplicissimi hominū illi sunt, & ad fidem maximè idonei, cum subtiliores ad disceptata & diffidentiam ac irrisionem promptiores sint: In simplicibus a. DEO cumprimis* complacentia est: t. 17. Partim, *quia verus spiritualis animarum pastor natus erat, & verus Dei agnus, qui convenienter primò pastoribus, ut agnus, & gregibus, ut pastor, ostendebatur.*

19. 5. Qualis fulgor pastores circumdans fuerit? *Quidam â gloriâ Domini distinguunt. Sed rectiùs ipsa gloria Dei dicitur. Fuit* divinus quidam splendor, *in quo angeli apparuerunt, quomodo in miraculosis apparitionibus glorioso splendore sancti se ostendere solent, ut* Christus *in transfiguratione*, Luc. 9. v. 31. *Ut scirent pastores, angelos lucis esse, qui nova ipsis annuntiarent, eoq; tutiùs ipsis fidem haberent, ac Solem justitiæ natum esse cognoscerent, qui luce illustrari merebatur.* Maldonatus in h. l. & Beda *nusquam aliàs angelos in sacris in cœlesti fulgore apparuisse legi ajunt. Sed falsum hoc esse ex* Act. 12. v. 7. *patet, ubi lux fulsit cum angelo in carcere, in quo Petrus captivus detinebatur. Similia* 2. Reg. 6. v. C. 2. v. 11. Dan. 19. v. 6. *reperiuntur*. 6. Quomodo ex illo signo agnoscere potuerint pastores, Dominum & Salvatorem in Civitate David natum esse, quòd infantem fasciis involutum, & in præsepi reclinatum inventuri essent, *Cum id alijs etiam pauperibus infantibus contingere potuerit, & ex isto squallore ac pe-*

nuria

penuriâ potiùs contrarium colligendum esset, nec Dominum, nec salvatorē, miserum istum natum esse? Signum veritatis in eo est, *quòd futura angelus certò eventura prædiceret, quali situ & habitu infans adhuc relinquendus esset, nec â matre aut in ulnas accipiendus, vel aliò reclinandus, vel â præsepi removendus esset, priusquàm â pastoribus ita visus & repertus esset. Quod, nisi divinitùs, nemo scire potuit.* Conf. 1. Sam. 10. v. 2. *Et haud dubiè angelus itineris comes locum & præsepe ita evidenter demonstravit, ut sine ullo errore pastores & diversorium, & præsepe, certò reperire potuerint, eoq; modo fidem dictis ac signo suo sufficienter præstitit.*

20. *Sic &* Connexa Nativitatis Christi *fuerunt. Seqvuntur* Conseqventia, qvæ tempore nativitatem secuta sunt. *Hæc* vel propinqviora, vel remotiora *esse possunt.* Propinqviora, *qvæ non ita diu post nativitatem contigerunt. Et 6. sunt.* Pastorum Bethlehemum adventus, Circumcisio Christi, adventus Magorum Hierosolymam, & inde Bethlehemum, Purificatio Mariæ Virginis, Fuga Christi & parentum in Ægyptum, & cædes infantum Bethlehemiticorum. *De his seqventia qværi possunt.* 1. Cur pastores ipsi Bethlehemum ad videndam nativitatem iverint, cum angelo testi id credidisse satis fuisset? *Vt nempe angeli mandato* v. 12. *insinuato satisfacerent, fidem suam ipsâ αὐτοψίᾳ roborarent, sic enim fideles solent,* V. Exod. 3. v. 3. *Et cæteros de iis, qvæ ipsi oculis usurpassent, manifestiùs ac constantius informare possent.* 2. Cur circumcidi voluerit Christus, cum sanctus ac innocens, & Dominus legis esset, Matth. 12. v. 8? *Vt veritatem carnis suæ nobis ostenderet, se ad implendam, non solvendam legem, venisse demonstraret, legi pro nobis se subjiceret, cum nobis natus & datus sit,* Esai. 9. *Ac pro nobis peccatum factus sit,* 2. Cor. 5. v. 21. *Judæis* se *ex Judæis ortum*

esse ostenderet, omnem *ansam ipsum, tanqvam incircumcisum calumniandi & reprobandi adimeret*, diligentem *ac sedulum rituum à DEO institutorum usum proprio exemplo nobis commendaret*, & de *spirituali Cordis circumcisione nos commoneret*. 3. Qvomodo cum Prophetia Esai. 3. v. 14. conveniat, qvòd in circumcisione Christus non Emmanuel, sed Jesus vocatus sit? Judæi *hoc urgent, ut non esse verum Messiam inde probent, qvòd nomine Emmanuelis vocatus non sit*. Verùm, Vel vocari hic idem est, ac esse, *mereri, dignum esse, qvomodo per* Hebraismum *vocari pro esse, haberi, & agnosci, sumi solet*. Vt Esai. 7. v. 3. *Voca* Accelera, Prædare, *pro, Erit Accelerator & Prædator*. Conf. C. 62. v. 4. Jerem. 23. v. 6. C. 33. v. 16. Zach. 3. v. 8. C. 6. v. 12. Sic Esai. 9. v. 6. *fortis, consiliarius, pater æternitatis*, Christus *vocandus dicitur, qvòd rei veritate talis futurus, illisq; nominibus jure dignus esset, etsi nullum eorum ut proprium nomen in Circumcisione illi impositum fuerit. Nàm qvi de* Hiskiâ *Rege locum exponunt, ut* Rabbini, R. Salomon, & RabbinisantesChristiani *qvidam, Vt* Ledebur, *aliiq;, alieni sunt, & ex Contextu toto, eximiis nominibus assignatis, ac testimonio* Rabbenu Haccadosch in libr. Gale Razia, *maximæ apud Iudæos authoritatis, Item* R. Levi & Paraphrastæ Chaldaici, R. Josis Galilæi, Ahæ, *aliorumq;* ap. Galatin. l. 3. 4. 6. 7. & *Chronologiâ ac rebus gestis sub* Hiskia *confutantur. Nec enim sub eo* tanta *aut tàm* diuturna aut universalis *pax fuit, ut tàm magnificis nominib. respondere possit, qvib. hic describitur, cum varii motus sub eo gliscerent*. 2. Reg. 18. v. 13. seq. C. 20. v. 17. 18. *Et post obitum ejus varia iterùm bella orta sint*, 2. Chron. 33. v. 11. *Hic autem de tali pacis principe sermo, sub qvo pacis non finis futurus sit, & qvi in perpetuum regnaturus sit. Qvæ in* Hisk. *non qvadrant. Regnum enim Iuda 112. annis post Hiskiam totaliter per Chaldæos eversum, &*

sum, &

sum, & Zedekia in captivitatem Babylon. abductus est. 2. Chr. 36. v. 20. 21. Vel vocari generalissimè qvocunq; nomine vocari est, *non proprio solùm & impositionis, sed & appellativo, rei, & qvocunq; cognomento: Et sic verè* Christus *cognomen Emmanuelis habet. Sic Duces & Cæsares Romani â provinciis Parthici, Alemanici, Dacici, Gothici, cognominabantur:* Vel nomen Emmanuel qvoad rem *cum ipso nomine Iesu concurrit.* Jesus *enim Salvatorem populi â peccatis notat,* Matt. I. v. 21. *Sed qvi talis, eum verè Emmanuelem & DEum nobiscum esse oportet, cum merus homo hominem redimere apud DEum nunqvam possit.* Psal. 46. v. 8. 9. *Cum* nec *efficaciter intercedere,* nec *infinito bono læso sufficienter solvere,* nec *totaliter peccatorem servare,* nec *bona amissa integrè restituere,* nec *Sathanæ satis obsistere,* nec *â malis plenè liberare,* nec *ad æternam vitam feliciter deducere possit. Et sic dum* Jesus *vocatus est Christus noster, virtualiter simùl qvoad rem contentam & Emmanuel vocatus est:* Vel nomen hic intelligitur, *non qvod publicè in circumcisione sortiturus esset, sed* qvo Maria mater ejus *aut Deus pater specialiter ipsum compellaturi essent. De illis enim* Propheta *id dicit. Iam illi* Emmanuelem *Christum vocare potuerunt, etsi aliàs Iesus in circumcisione vocatus esset.* De nomine Jesu *plura moveri possunt.* Ut, Cur *præcisè illud nomen Christo impositum sit?* An sit *contractum ex Iehosua?* An rectè *per aspirationem, Ihesus, scribatur?* An rectè *â nomine Iesu Iesuitæ, aut, ut olim, Iesuatæ, dicantur, ut â nomine Christi Christiani,* Act. II. v. 26? *Et similia. Sed prolixitatis gratiâ* aliò *sunt differenda.*

21. 4. Circumcisionis festum qvàm antiqvum sit? Papistæ *statim â primordio Ecclesiæ N. T. cepisse putant. Sed in primâ* Antiqvitate *& primis 500. annis post Christum vix ejus mentio: Sed Calendarum Ianuarij & Octavæ Nativitatis tan-*

tum: Postea novus titulus demum accessit, Octavæ Nativitatis & Circumcisionis. 5. Cur à Circumcisione potiùs, qvàm Nativitate Christi novus annus inchoetur Christianis? Qvia *Circumcisionis festum, prout Communi stylo Natalia 25. Decembris celebrantur,* V. §. 16. *præcisè in Calendas Ianuarias gentilium incidit; Vnde gentes suum annum Christi tempore inchoabant.* Ac Cæsar & Augustus *Calendarium suum omnibus provinciis Romanis imposuerant, & sic etiam Christianis sub Romanis viventibus.* Qvia *ergò ista inchoandi annum ratio recenter tùm à Cæsare introducta, & in sese revertente ad nos Sole, satis commoda esset,* ne in civilibus *nimis scrupulosè à gentilium institutis Christiani abhorrere, ijsvè in omnibus contrarij esse, aut Ecclesiam primùm plantatam intempestivè turbare velle viderentur, retinuerunt idem cum gentilibus anni primordium: Civilis autem res est Calendarij alicujus institutio, qvia ad ordinem civilem Reipublicæ pertinet: Etsi* ratione festorum in Ecclesiâ *celebrandorum & qvodammodò* Ecclesiastica, *& sic mixti fori esse, dici possit. Et cum gentilium Calendis per annos ferè 1600. Christiani annum inchoarunt, donec anno 1582. Gregorius 13. Papa Novo Calendario introducto, novum anni terminum priore 10. diebus priorem, introduxit, qvem Pontificij seqvuntur, cum ex* Evangelicis *multi adhuc Veterem retineant, Causasq; non recepti Novi Calendarij habeant & assignent. De qvo* Springerum & Cranium de pac. Relig. Arumæum in disp. d. Jur. publ. T. 2. dis. 10. t. 32. Arcularium in thesib. Reinking. l. 3. d. reg. secul. clas. 1. c. 2. Rivandrum in Chronic. festiva. p. 115. seq. aliosqve *vide.*

22. 6. Magi an Reges fuerint, & unde venerint? Papistæ *qvidam,* Ut Salmeron, Genebrardus, Baronius, Cosmodromius, Feuardentius, Barradius, Bosqvierus in ara Coeli,

Cœli, Con. 6. & Patres qvidam, *Vt* Gregor. Nazianz Basilius, Hilarius, Athanasius, Tertullianus, Theophilactus, ap. Bosqvier. c. l: *Reges censent, & in Cantico,* Puer natus, Reges de Sabâ veniunt, *canitur. Sed Scriptura Magos, non Reges vocat,* Matt. 2. *v.* 1. *Qvi Persarum Sapientes & consiliarij erant: Et* Mantuanus Papista in fastis, Nec reges, ut opinor, era*n*t, Nec enim tacuissent Historiæ sacræ authores genus istud honoris, *scribit: Ac* Maldonatus in c. 2. Matt. *probabili tantùm opinione id â Papistis teneri, ac multos Catholicos scriptores contrarium sentire ait.* Canus *in medio re relinqvit, & affirmantes historiæ authoritate niti negat,* l. 11. Loc. C. 3. Jansenius *ex Bileami posteris fuisse, & Bileamum ipsum magum fuisse putat.* Rat. Concord. c. 9. *Cui consentit* Barradius l. 9. Conc. C. 8. *Ac* Novidius Poëta ap. Bosqvier. c. l. Et utraq; Saba, *sive Æthiopiæ, sive Arabiæ, Vnde magos venisse* Justinus, Tertullianus, Cyprianus, Baronius, Epiphanius, Lorinus in C. *2.* Act. v. 11. aliiq; *censent, respectu Hierosolymæ ad meridiem fuit.* Evangelista *autem ex Oriente ipsos venisse dicit, qvalis Persia ejusq; regiones fuerunt, unde venisse & vox Magorum Persis propria, & cultus adorationis, Christo ut regi, exhibitus, moribus Persarum etiam usitatus, & non sine munere oblato adventus, qvod etiam Persis familiare erat, ostendunt, & multi* Patres, *ut* Chrysostomus, Euthymius, Theophilactus, Nicephorus, Cyrillus, Basilius, *ut communem opinionem, tradunt. Ex Susis Persarum vel simili urbe fortè venerunt.* Possunt & hic plura qværi. Ut, An Magi malefici *& incantatores fuerint? Vt* Paracelsus ap. Sennertum d. Chym. consf. c. 13. Augustinus, Hieron. aliiq; *affirmant.* Qvot *eorum fuerint, an tres, ut vulgò sentitur, an plures aut pauciores?* Qvomodo *ex Stellæ apparitione præcisè cognoverint, Novum Regem Judæorum natum?* Qvæ *& qvalis* *illa stel-*

illa stella fuerit, an ætheria, an elementaris, an prorsùs singularis, an angelus aliqvis? An ad eam *rectè vaticinium Bileami accommodetur*, Num. 24. v. 17. An per *totum iter Magis prælu-xerit?* Qvando *& qvoto post Christum natum tempore Magi venerint?* Qvàm diu *in itinere fuerint, an per 13. dies, an per annum integrum, ut alij volunt?* Paracelsus c. l. *Eqvos Magicos illis tribuit, qvi tantum spatij uno die absoluant, qvantum alij vix mense.* Cur Hierosolymam *primùm, non statim Bethlehemum, venerint?* Qvandiu *ibi morati fuerint?* Cur *Herodes & Hierosolymitani nuntio eorum audito externati fuerint?* Cur *pueros â bimatu & infra Herodes occidi jusserit? Et similia. Sed* brevitatis ergò *aliorsùm sunt differenda.*

23. 7. Purificationis festum Cur Veteribus Græcis hypapantὴ, vel hypantὴ dictum? *Fuisse ita dictum ex* Cedreno, Nicephoro, Micrologo, Couarruvia T. 2. l. 4. c. 19. num. 8. & Casaubono ex. 2. con: Baron. f. 12. aliisqve *constat.* Ratio est, *Qvia Simeon tùm Christo ex Spiritu S. occursavit in templo, eumq́ ibi præsentatum in ulnas recepit, & ex eodem Spiritu ventura de eo prænuntiavit. Hypapante autem vel hypantὴ nil aliud, nisi* Occursatio, vel processio & obviatio *est. Vnde panegyricas Orationes, qvibus Principes in urbem venientes excipimus, hypapante interdùm inscriptas videmus. Monere voluerunt Veteres, & nos ita Christo in templis spiritualiter occursare, atq́ in ulnas fidelis animi amplecti debere. Postea in Papatu* festum Candelarum *est dictum, varijq́ cereorum consecrandorum ritus & abusus introducti, ac ad gentiliũ imitationem usurpati sunt. Vnde Germanicè* Lichtmeß *vocatur. De qvo & ritibus festi* Durandus l. 7. Ration. c. 7. Baronius not. ad martyrolog. Roman. Ceremoniale Romanum l. 2. aliiq; *videantur.* Qvidam *sub Iustiniano Imperatore institutum festum putant.* Alij *autem longè antiqvius illud*

illud esse contendunt; & *sub Chrysostomo jam viguisse ajunt*, *de qvo* Bellarminus l. 3. d. cult. Sanct. c. 16. *legi potest. De qvo aliàs.*

24. 8. An ex paupertate Maria par turturum in purificatione, qvod pauperum munus erat, Lev. 12. v. 8. non agnum, qvod ditiorum, v. 6. obtulerit? *Apud* Postillatores, *itemq́* Stellam, Toletum, Gualterum, Tostatum, Barradium; *aliosq́ hoc classicum est, qvi paupertate factum ajunt. Sed* nec Lucas *id dicit, verùm nudè legem allegat*, & *secundùm eam facere Mariam voluisse ait*, c. 2. v. 24. Non determinando; *qvid præcisè obtulerit*, *Qvod ex Papistis* Maldonatus *in* C. 2. Matth. v. 11. *concedit: Et partem legis per concisionem sacris usitatam* Lucas *allegat, cætera subticendo*, & *ex lege ipsâ, ut arcessantur, relinqvendo:* Nec *ita pauper eo tempore erat Maria, ut non agnum comparare potuerit, Cum regia dona â Magis Persarum non ita pridem accepisset*, Matt. 2. v. 11. *Qvæ in usus pauperum universa erogasse, ut etiam non tantum sibi retinuerit, qvo legi DEI in offerendo agno ex more satisfacere licuisset, ut* Stella in c. 2 Luc. v. 24. Barradius in harmon T. 1. l. 10. c. 2. *praeuntibus* Tostato, Bonaventurâ, Carthusiano, *reponunt, aut omnia DEO consecrasse*, ut Maldonatus c. l. *arbitratur, Cui credibile fiet*, *Qvi pietatem Mariæ & Iosephi, ac accuratam legis, etiam in ceremonialibus, observantiam consideràrit.* V. Luc. 2. v. 21. 22. 41. Si ratione status sui, *qvi pauper & tenuis, ita offerre voluisse dicas, etsi per dona accepta agnum offerre licuisset, considerandum erit, pauperem statu, per regia dona in sublime â DEO evectum, si pius sit, devotiore animo eam benignitatem agniturum, & majore oblatione gratitudinem suam DEO declaraturum, qvod de Maria, ut piissimâ, omninò cogitandum. Rectiùs ergo turtures aut columbas hic oblatas, non agnum, dicitur*, ex mystica.

ſticâ ratione, qvia verus ille DEI agnus peccata mundi laturus jam aderat, *& in templo DEO ſiſtebatur, eoq́, typicum agnum offerre nihil opus fuisſe, cum antitypicus jam adesſet, finem typis & umbris omnibus impoſiturus: ſed par columbarum ſacrificio ſatisfacere poterat.* Origenes hom. 24. in Lucam *more ſuo ad allegorias delabitur, & columbas hic non reales & phyſicas alites, ſed myſticas & ſpirituales fuisſe dicit, Velut Spirit. S. ſpecie columbæ qvondam apparuit. Sed vana hæc esſe, Scripturæ ac ritui purificationis â DEO præſcripto,* Lev. 12. *& â pijs congruenter obſervato, adverſa, palam eſt.*
9. Pro qvo oblatio hæc facta, an pro Mariâ, an Chriſto, an utroqve? Qvædam Exemplaria *in Græco* αὐτῶν *legunt, purificationis eorum, ut Maria & Chriſtus ſimùl comprehendantur:* Alia αὐτῆς, *ut ſola* Maria. *Et hoc rectiùs. Nam pro muliere purificandâ lex poſita erat, non nato,* Lev. 12. v. 2. ſeq. *Et Chriſtus ſanctisſimus erat,* Dan. 9. v. 24. Hebr. 7. v. 26. *purificationis nullius indigus: Siſtendus erat, ut primogenitus,* Exod. 13. v. 2. 15. *Qvi ex ſemine Davideràt, omnium primogenitorum legis verus antitypus, verusq́, ſacerdos Dei futurus: ſacrificio purificationis opus non habebat.* Maria *etiam lege non tenebatur, qvia non â Viro imprægnata, de qvâ lex loqvebatur,* Lev. 12. v. 2. *Paruit tamen, ut & obedientiæ promptitudinem oſtenderet, & peccati fœditatem repræſentaret, & ne Iudæis ſcandalum poneret, ac calumniandi anſam daret.*

25. Remotiora Conſeqventia ſunt, qvæ longiùs ab ipſa Nativitate diſtant. Suntqve vel Biblica, *ut Educatio Chriſti, fuga in Ægyptum, in templo diſputatio, miniſterium, Paſſio, Reſurrectio, Aſcenſio; De qvibus in* Paſſionalib. Paſchalibus, & Pentecoſtalibus *actum:* Vel Civilia, *qvæ in Civili vitâ poſt Natum Chriſtum fieri animadvertuntur, vel ſaltem creduntur. Et* qvia duplicia, qvædam, *qvæ fiunt,* alia,

qvæ

qvæ fieri existimantur, in vera & putatitia *hæc dividere possumus*. Vera, qvæ citra figmentum esse aliqvod habent. Suntq; vel res, vel notiones qvædam. Res, *qvæ factis aut naturâ constant. Talia sunt* 1. Oraculorum gentilium post natum Christum totalis tandem & successivus defectus. *De qvo* Plutarchum lib. 2. de Orac. defectu, Peucerum de divinat. & Ciceronem lib. d. divinat. *Boisardum de Divination.* aliosqve *leges. Ethnici mirificè se torqvent, in causâ istius defectus assignandâ.* Plutarchus *magnum DEum Pana mortuum esse pro causâ habitum fuisse ait: Vel qvòd semi Dei fuerint, qvi Oracula reddiderint, qvi tandem finem habuerint.* Qvidam *& ante Christum natum Delphicum desysse ajunt, ut* Baronius ex Cicerone l. d. divin. *Sed ex* Plutarcho *constat, versu desÿsse responsa reddere, non simpliciter: Et multos post illa tempora Delphis responsa tulisse* historia *testatur, ac Versu reddi desÿsse, tantùm* Ciceronis *verba volunt, cum dicit, Cur* isto modo jam *oracula Delphis non redduntur, Versu nempè.* Sub Trajano *postea paulatim conticuerunt Oracula. Et* Baronius *aliàs Apollinem Augusto Græcis verbis respondisse narrat. Vnde Augustus aram in Capitolio sacrârit, cum inscriptione:* Ara primogeniti DEi. *Similiter virginem in aere puerum ulnis gestantem vidisse, & qvæ similia. Qvorum plurima fabulosa, & fabulosorum Compilatorum,* Nicephori & Suidæ *esse, certum est, qvi, ut novi scriptores, de re tàm antiqvâ fidem non merentur, & in* Antiqvitate *testimonia idonea non habent. Ac* Baronius *ipse sæpius fidem ipsis non habet,* num. 36. & alibi.

26. 2. Succorum è radicibus arborum sub brumæ tempore in superiora ascensio, foliorum oleæ conversio, qvâ pars superior inferior, & viciſſim, fiat, item seminum in malis inversio, qvæ mediis arborib. inclusa brumali die

 in con-

in contrarias partes se vertant. *Hæc enim tanqvam realiter contingant, à nonnullis assignantur, ut* Gellio l. 9. N. A. c. 7. Cicerone 2. d. divinat. Keckerman. d. 5. Curs. Phil. Bartholino num. 191. Astrolog. aliisqvè. Dubium *tamen videri possit, an vera hæc, si frigoris intensionem circa hæc tempora consideremus. In interiora enim & inferiora vi frigoris succos & semina potius constringi, qvàm ad superiora revocari, credibilius sit, cum frigus intrò pellere, non Calorem evocare compertum sit, ut* Dec. 1. Misc. d. 2. *dictum.* 3. Frigoris in aëre post Natalitia freqvens intensio. *Secundùm illud Germanorum:* Wenn sich die Tage lengen/ pflegt sich die Kält zu strengen. *Qværitur,* qvæ ratio sit? Vel, qvòd *per æstatem & autumnum terra calore solis satis percocta, ad initium hyemis calorem aliqvalem adhuc retinere possit, prius qvàm tota frigore perstringatur, & sic sub brumam tepidior aër esse possit, qvi postea diutiùs terrâ frigoribus perstrictâ frigidior evadit, & frigus intensius fieri incipit, qvod Ianuario ac Februario mensibus contingit. Ita fornax benè calefacta calorem aliqvem ad tempus retinet, etiamsi prunæ omnes cineribus sopitæ sint, Vnde hypocaustum adhuc tepidius. Sed frigefactâ totaliter fornace & hypocausti aër in frigore intendi animadvertitur.* Idem de terrâ *diutiùs Calorib. percoctâ sub Canicularib. sole æstus intendente procedit, etsi tùm Sol longè humilior, ac* Junio *mense sit:* Vel, qvòd Dei & Naturæ *potestati hoc adscribendum sit, qvi DEus frigora intendit, qvando & ubi vult, pro libero beneplacito. Vnde Scriptura frigora notanter illi adscribit,* Job. 39. v. 9. 10. C. 38. v. 22. 23. 29. 30. Psal. 147. v. 17. Sirach. 43. v. 21. 22. *Ita* Martio & Aprili *intensissima interdùm frigora emittit, Vt* dec. 1. Misc. d. 2. t. 15. *ostensum. Et in sævusimâ illâ Anni 1635. hyeme,* Martio *mense tantùm frigus hic sensimus, ut vix*

fenestra

fenestræ eliqvari â glacie potuerint, ut Ianuario ac Februario sæpiùs longè moderatius fuerit. Cromerus *ultimâ* Martij *tantum frigus in Masoviâ aliqvando fuisse narrat, ut Vistulam per firmam glaciem cum qvadrigis & eqvitibus transierit, ac in Prussiâ piscatio glacialis præteritâ tùm hyeme per totum Martium perdurârit.* l. 1. de mor. & situ Polon. p. 21. 4. Variorum in Natalitiis festis gestorum occupatio. *Sic 10000. Angli festo illo baptisati, Solymannus Rhodum occupavit, Maximinus 20000. Christianos in templo combussit, Carolus M. Cæsar electus & coronatus Romæ est, & similia contigerunt, qvæ* Rivander in Chron. festiv. Die Natal. alijq; *referunt.*

27. *Sic* res *fuerunt: Seqvuntur* Notiones, qvæ ab hominibus ad res adhibentur. Hæ vel æræ Chronologicæ, vel modi qvidam loqvendi sunt. Æræ Chronologicæ sunt æra nati Christi, & ejus ad reliqvas æras collatio. Æra nati Christi qvæ & qvanta hucusq; sit, *acriter inter* Chronologos *disceptatur. Vulgò annum 1648. post natum Christum esse dicimus, & hæc æra communis &* Dionysiana *dicitur.* Alij *tamen veram esse negant, & hanc 2. vel 4. annis majorem esse censent, ut 1650. vel 1652. jam verè â nato Christo numerandum sit, Vt* Scaliger, Calvisius, Helvicus, Alstedius, alijqve, *& hæc æra peculiaris ac* Scaligerana *dicitur. Et postremam sententiam hoc ipso anno egregiis fundamentis deduxit Excellentiss. Collega noster,* D. Eichstad. in pec. diss. de vero anno Natali Chris. *Sed ex adverso* alii communem æram omninò legitimam esse censent, *totiq; Ecclesiæ Catholicæ propriam & usitatam, Ecclesias etiam Græcas, Turcicas, Iudaicas, ad hanc sua attemperare, omnesq; cæteras æras, ut Hispanicam, Augusti, excidij Hierosolymitani, Indictionum, Actiacam, Olympiadum, cum eâ consentire. Vide nuperè hæc disceptantem*

 Helvi-

Helvigium in dissertat. Chronologicis ann. 1634. *Rostochij editis.* Collatio ejus ad cæteras æras est, *qvà ad annos Mundi, Olympiades, Indictiones, annos Nabonassari, 70. hebdomadas Danielis, Captivitatem Babylonicam, Excidium Hierosolymitanum, æram Turcicam, Persicam, Arabicam &c. attemperatur. De qvo Chronologos; ut* Funccium, Buntingium, Scaligerum, Helvicum, Behmium, Alstedium, Henr. Philippi in Tract. de annis nati & passi Christi, *aliosq; consule.*

28. *Ita æræ fuerunt: Seqvuntur* modi loqvendi, qvi signa conceptuum sunt, & noëmata, qvibus inter doctiores animi sensa *pro meliore captu* exprimi solent. *De his cumprimis seqventia qværuntur. 1.* An rectè dicatur, Carnem Christi in cœlo formatam, indeqve in Mariam delapsam, & sic ex eâ editam esse? Weigeliani, Anabaptistæ, Paracelsistæ, & fanatici *communiter affirmant, & ex* Joh. 6. v. 51. 58. *probant. Sed id contra Scripturam est, qvæ Christum ex Mariâ virgine natum dicit,* Gal. 4. v. 4. *& fructum ventris ejus appellat,* Luc. 1. v. 42. V. § 14. *Qvomodò nemo in sacris vocatur, qvi non ex eoipso substantiam suam hauserit; ac in Symbolo Apostolico apertè id profitemur.* Non a. verè ex aliqvo nascitur, qvi substantiam suam aliunde, & non ex illo ipso, traxit. *Sic aqva non ex canali nascitur, etsi per eum delabatur. Punctum a. aliqvod Symboli Apostolici negare aut detorqvere, hæreticum facit, hoc enim fundamentalia fidei Christianæ puncta continet. Et* Joh. 6. *Caro Christi cœlò venisse dicitur,* non qvòd *substantiam ibi jam formatam habuerit, indeq; in Mariam demissa fuerit, ut* fanatici *volunt:* Sed qvòd *cœlesti vi à Spir. S. in Mariâ concepta sit, cum sine Viro per naturæ vim concipere ei impossibile esset, cum pura Virgo existeret,* Matt. 1. v. 18. 20. Luc. 1. v. 35. Sic Baptismus Johannis de cœlo, Matt. 21. v. 25. *Non qvòd essentiam in cœlo habuerit,*

cum

cum in terrâ demùm eam acceperit; Sed qvòd *institutionem & efficaciam à cœlo habuerit, & divinitùs jussus ac mandatus fuerit*. Luc. 3. v. 2. Joh. 1. v. 33. 2. An Mariam instrumentum vel causam instrumentalem Christi dicere liceat? *Sic* qvidam. V. Thum. Consid. 3. qvæst. q. 1. p. 73. *Sed loqvendi modo incommodo. Parentes liberorum suorum* principales, non instrumentales *causæ sunt, etsi in ordine causarum secundarum, dependentium, & creatorum, non increatæ & primæ, qvalis DEus, generalis omnium Pater*, Mal. 2. v. 10. *Nec dependentia â primâ causâ tollit, qvo minùs aliqvid principalis sui effecti causa dici possit, Vt in* Metaphys. *docetur. Dicuntur interdùm* Creaturæ instrumenta DEI, *sed analogicè, qvia non sunt maximè principalia agentia, Vt Causa prima. In suo tamen genere principales effectorum suorum causæ sunt, ad qvæ vires sufficientes habent, ut* Scholastici *docere solent*. V. Tanner. p. 1. Th. Scho. d. 2. q. 11. *Et* Maria vera Mater *Christi est*. Instrumentales causæ *propriè virtutes generativæ, calores naturales, semina animalia, similiaq; ad generandum conducentia sunt, per qvæ, ut instrumenta aut materias, parentes liberos suos producunt*.

29. 3. An Christum heroëm, auspicem, gigantem, aut divum vocare liceat? *Classica hæc apud Christianos sunt. Vt, Christo duce & auspice Christo, heros duplicis Naturæ, gigas ille geminæ substantiæ, &c.* De heröe Dec. 3. Misc. D. 5. t. 23. *dixi*. Si semideum *& gentium figmentum notet, non heros* Christus *est, à nobis enim non semideus, sed totus verusq; naturâ DEus æstimatur*, t. 13. Si *extraordinarium Virtutum & gestorum exemplar, potest*. Auspicis *vox similiter impietatis & superstitionis gentilitiæ vocabulum est, eoq; ad* Christum *parùm qvadrat, & qvæ analogia in eo esse possit, melioribus vocibus de Christo enuntiari potest*. Notio autem, qvâ datur melior,

 depo-

deponenda, & melior assumenda est, *habet primum principium.* Gigas, *si Centauros, fera monstra, aut Poëtarum figmenta notet, etiam non ad* Christum *qvadrat.* Rectiùs *ab talibus vocib. abstinebitur, &* Biblicis, aut moderatis Ecclesiasticis, *Christianus contentus fuerit: Nec ad laudem Christi à Poëtis voces emendicare in Theologiâ opus existimemus: Et ab infidelibus in irrisum ea rapi possunt. Idem de voce* divi *habendum, si fictitiam gentilium apotheosin, aut heroës semideos respiciat, quod ex usu gentilium factum.* 4. Rectenè Christus Spiritualis animi fructus vocetur, in animâ fideli concipiendus, ex eâ spirtualiter gignendus? *Ita* Rathmannus olim *locutus* in Tugendspiegel/ Conc. 21. 22. Et gegenber; con: Censur: Num. 11. 16. Alij Orthodoxi *similia interdum habent*, V. Gerhard. Med. 14. Waltherum Medit. d. Nativ. & pass. Chr. C. 2. t. 5. Spangenberg hom. in fer. 1. Natalit. aliosq;. *Potestq; qualiscunq; sensus Orthodoxus verbis inveniri, ut omne id, quod in aliquo fructificare debet, fructus dici potest. Christus autem natus, spiritualiter in nobis omninò fructificare debet:* Tutiùs tamen abstinetur. *Scriptura non Christum ex nobis, sed nos in ipso Spiritualiter renasci, & novam Creaturam fieri dicit.* Gal. 6. v. 15. 2. Cor. 5. v. 17. *Ille vitis, nos palmites, & succum ex eo trahimus.* Joh. 15. v. 2. seq. *Nos ipsius fructus, non ille noster. Nec Christus Spirituale semen est, ut ex nobis nascatur: sed verbum Dei, ex qvo nos regignimur,* Matth. 13. v. 19. Luc. 8. v. 11. V. §. 3. *Christus seminator est, non semen.* Matth. 13. v. 41. *Et spiritualis genitura beneficium Christi in nos derivatum, non opus aliqvod à nobis in Christum redundans est, ut is Spiritualis noster fructus indè denominari possit.* In nobis *spiritualiter Christus nasci potest, & speciem ac formam per Verbum prædicatum & consideratum velut accipere, qvà iterùm depingatur, & velut an-*

liut ante oculos ponatur, Gal. 3. v. 1. C. 4. v. 19. Ex nobis *non potest.*

30. 5. An & secundùm humanitatem naturalis DEI filius dici possit? Qvidam *affirmant, ne in errorem* Felicis Urgelitani & Elipandi Toletani Episcopi *in Concilio Francofurtano ann. 794. damnatum incurrant, qvi Christum ut DEum, naturalē, ut hominem adoptivum filium Dei statuerunt, sicq́ duas filiationes & conseqventer filios introduxerunt. Vt* Gerhardus Exeg. d. Chro. c. 157. Mentzer. T. 1. Gies. d. 3. t. 54. Et alibi, Becanus p. 3. Th. schol. tr. 1. C. 18. q. 5. alijq́;. *Qvanqvam de mente* Felicis *diversi qvidam sint, Cum scripta ejus non extent, & pleraq́ ex* Paulo Aqvilejensi *Adversario ejus hauriri oporteat.* Alij *negant, accuratè ita dici, qvòd filius DEI naturalis ab æterno ex essentiâ Patris genitus, essentialis DEus, æternus, & Patri æqvalis esse debeat, qvæ de Christo secundùm humanitatem affirmari neqveant, Vt in qvâ Patre minor sit*, Joh. 14. v. 28. Ut Calixtus Progr. d. fest. Nativ. lit. E. F. I. Martini l. 3. Pæd. Log. C. 7. Et l. 5. C. 5. Scharfius l. 3. Log. Instit. C. 11. alijq́;. Scholastici *etiā divertunt.* Thomas & Thomistæ *prius*, Scotus & Scotistæ *posterius defendunt.* Tutissimè *dicitur*, sensum propositionis istius, *Chr. secundum humanitatem est naturalis DEI filius*, benè evoluendum esse. Vel restrictivus, vel descriptivus tantùm est. Si restrictivus, *ad sensum specificativi, non reduplicativi explicandus erit, hoc modo: Chri. sec. hum. est fil. DEI naturalis, personaliter scilicet, non essentialiter. Et hoc modo verus ac legitimus esse potest. Vt enim Christus homo filius altissimi*, Luc. 1. v. 23. 35. *per unionem cum verbo, non naturam humanam præcisè est; sic & filius ejusdem naturalis per eandem verè dici potest, non enim adoptivus est, ut nos sumus. Et sic difficultates, qvæ ei obuertuntur, declinantur. Nam*

de fi-

de filio DEI naturali essentialiter & per essentiam ac naturam ita dicto, procedunt, ut ex essentiâ Patris ab æterno genitum, ei æqvalem esse: Chr. autem qvà homo filius naturalis tantùm per unionis gratiam, non naturam est. Reduplicativo sensu *non procedit, Chri. qvia homo est, naturalis DEI filius est, sic enim omnis homo naturalis Dei filius esset, ut Consequentia â qvà redup. ad de omni in* Log. *docetur.* V. Comp. Log. l. 1. p. 2. C. 3. Si descriptivus subjecti tantùm est, *ut Christus, qvi homo, vel humanâ naturâ præditus est, Dei naturalis filius sit, non determinando, an sec. human. an deitatem sit, etiam verissimus est, & nec duos filios cum* Nestorio *introducit, nec adoptivum filium cum* Felice *componit.* Unus est filius DEI naturalis, *Christus Deus & homo, sed secundùm deitatem* essentialiter, *qvâ in naturâ à Patre ante secula genitus, & secundùm carnem* personaliter, *qvà in tempore filio Dei in unam personam intimè unitus est, eamq; compositam cum eo post incarnationem constituit. Vbi inferre autem argumentando velimus, non licet novam determinationem minori adiicere, qvæ in majore non præmissa fuit, ut exempla* Dec. 1. Misc. d. 7. t. 14. 15. 16. *visa sunt.*

31. *Ita* Consequentia Civilia vera *fuerunt:* Putatitia *sunt, qvæ nato Christo posterioribus seculis contingere vulgò putantur, cum reverâ non contingant. Hæc seqventia sunt.* 1. Bruta omnia nocte concubiâ Natalitia antecedente surgere, & stare, q*vasi in honorem nati Christi. At & aliis noctibus id faciunt, vel pabuli ultimi, vel comedendi, vel alius commodi gratiâ, vel consuetudine qvadam, si animadvertas.* 2. Aqvam sub medium noctis Natalitiæ per horam unam in vinum transmutari. *At & hoc commentitium est, & experientiâ teste falsi revincitur. Nec qvisqvam hodiè facilè ita stolidus, ut experiri de novo sustineat, nisi ludibrium aliis debere velit.*

3. Sphæ-

3. Sphæram Solis & Stellarum à nato Christo humiliùs desedisse, *terraq; propinqviorem factam esse. Sed & hoc dubium est, Cum nec natura cœli talem declinationem ferat, & æqvalitas motuum ac observationum cœlestium, priscorum observationi satis exactè consentiens, repugnet.*

32. 4. Homines in Livoniâ, Curlandiâ, Russiâ, & viciniis circa Natalitia in lupos transmutari, strages hominum ac brutorum edere, cursuq; peracto suo tempore in hominis formam redire, & ad sua reverti. *Germani* Beerwölfe *vel* Waarwölfe *tales vocant. Sed & hæc partim hominum commenta, partim Sathanæ ludibria, qvibus Barbaris feris*q; *hominibus illudit, esse, historiæ palàm evincunt,* Ut Coroll. 1. d. 4. d. Opp. Enunt. *docui, ac* peculiari Tractatu de Magicis actionibus C. 6. *pluribus docebo.* 5. Ex 12. diebus post Natalitia, qvos vulgus Die Zwölfften/ vocat, de tempestate 12. mensium futuri anni præsagium capi posse. *Et hoc vanum esse patet,* Partìm, *qvòd nulla inter dies istos & futuros menses analogia Physica aut Mathematica, nullaq; connexio sit, aut ejus ratiò dari possit:* Partìm, *qvòd numerorum in se & ex se nulla sit efficacia:* Partìm, *qvod nec dies cum novilunìis mensium præcisè connexi sint, ut calculus ostendit: & licet interdum ac raro sint, ut idem docet calculus, nondum sufficiens hinc de tempestate totius mensis præsagium peti possit, cum nec ex tempestate ipsius novilunij de tempestate totius mensis tutò judicare liceat:* Partìm, *qvòd absurda hinc conseqvantur. Si enim 30. 31. Decemb. immane frigus & nix sit, qvod interdum contingit, an & 6. & 7. mense, h. e.* Junio ac Julio, *qvos isti dies signare dicuntur, talem tempestatem ridiculi prædicent? Si 1. Ianuarij intensum gelu, an &* Augusto *mense idem? Nemo prudens talia præsagierit.* 6. Diem à Natalitiis ad Epiphania galli progressum ac

pasium

pasſum accreviſſe, hab vmb 1. Hahnenſchrit zugenommen. *Et hoc futile eſt, cum ad qvadrantem horæ & ultrà jam tunc accreverit, & inter qvadrantem ac paſſum galli nulla ſit proportio, Cum prolixum paſſum eſſe oporteat, qvi unus qvadrante horario perficiatur.* Rectiùs *diem à Natali ad Epiphania cantum galli qvotidiè increſcere dicitur, gallus enim gallum prolixitate aut brevitate cantus ſuperat: Sic & dies plus minuſuè pro ſitu locorum qvotidiè increſcit. Hæc de* Natalitiis Chriſti in gloriam Nati noſtri Salvatoris *hac vice diſceptata ſufficiant.*

Auctarium.

1. Cum pagellæ qvædam vacent, & c. 13. *Chriſtum naturâ DEum eſſe conſtitutum ſit, & qvædam hic inter arcana Cœli repoſita additum, qvod & in* Irenico & Tract. d. Contrad. alibiq; *factum, indeq; calumnia latentes Arianiſmos & portas Socinianiſmo aperiri exſpuerit, ad retundendum virus qvædam hic adducere viſum fuit.* 1. Ipſa *Scriptura inſinuat, multa in hoc & aliis myſteriis nos latere,* Prov. 30. v. 4. Eccleſ. 5. v. 1. Sap. 9. v. 16. Joh. 3. v. 12. Et alibi, *Myſterij Natura reqvirit, qvod ſemper plus condit, qvàm pandit, Naturales res docent, qvæ pleraq; nos fugiunt, & tàm Patres, qvàm Neoterici id paſſìm fatentur.*

2. Cum à Patribus *primorũ ſeculorũ maximũ hic momentum, videndum, qvid illi de DEI filio ſenſerint. Nam & optimè primam fidem Apoſtolicam ſciverunt, & puriſſimè tenuerunt.* Ignatius ep. 4. ad Tarſens. *inter errores numerat, Chri. eſſe Deum ſuper omnia, & Patrem, ſed filium ejus, qvia dixerit, aſcendo ad Patrem meum & veſtrum, & ſe Patri ſubjecturus ſit. Sed nec merum hominem eſſe, ut in qvo, & per quem omnia condita, qvi ante mundum, ante Abraham, in principio fuit, dè*

Cœlo

Cœlo descendit, Et locum Prov. 8. *in Græco per* ἔκτισεν, *condidit, allegat*. Idem Ep. 3. ad Magnes. *divinæ efficaciæ genitam essentiam*, οὐσίαν γεννητὴν, *verbum vocat*. Justinus dial. cu. Tryph. *alium qvoq; esse & vocari in sacris Deum præter creatorem ait, nuntium ac Angelum dici, patribus apparuisse, Chr. nostrum esse, non creatorem rerum, sed ministrantem creatoris voluntati esse, nec creatorem & patrem in exiguo terræ spatio conspectum*. Postea *in principio ante creaturas ex seipso potentiam qvandam rationalem Patrem genuisse ait, qvæ & gloria Domini, filius, sapientia, angelus, DEus, Dominus, dicatur, & hanc veram patris progeniem ante Creaturas cum Patre fuisse, & ante omnes ex eo prognatam ait, locumq;* Prov. 8. *etiam per creavit, reddidit*. Similia Apol. 2. *pro Christ. habet*. Irenæus *generationem filii Dei neminem nosse, nec angelos, archangelos, nisi solũ Deum, & qvi natus, filium*, L. 2. C. hær. C. 48. Et C. 49. *DEum verbum suum vnigenitum protulisse ait. Sed unde & qvomodo, nec scriptura dicit, nec nobis cuncta omnib. propriis exponi oportet, qvi infinita de DEo conjiciamus, sed DEo hoc concedendum, Eiq; & verbo ejus credendum*. Ibidem *plura habet, & passim* L. 2 & 3. *unum illum Deum Patrem vocat, Et* L. 3. C. 9. *ipsum Christum Patrem tantùm DEum & dominum eum, qvi solus est DEus & dominator omnium, tradidisse discipulis ait, qvos sequi nos oporteat*. Tertullianus *ex DEo, qvando ipse voluit, filium natum ait, & tàm genitum, qvàm factum dicit, dum initium ei detur, sine initio non fuisse dicit, & Monarhiam principaliter illius, à quo in filium communicatur, ait, & verbum primò omnium emissũ vocat*, de præscri. con. Praxeam, Hermog. & L. 1. d. Trinit. Lactantius L. 2. d. orig. err. C. 9. *de matre natum dicit, qui jam ante fuit, de patre, qui aliquando non fuit*. (*Sic* Arius *olim locutus.*) *DEum, antequam Mundi opus ortus, similem sui spiritum*

tum patris virtutibus præditum produxisse ait. Qvod L. 4. C. 6. *repetit, & Prov.* 8. *etiam per Condidit reddit. Vnde* Ario *labendi fortè occasio.* Hilarius *nefas dicere ait, qvando natus sit filius.* Clemens Romanus *immediatè ante ea, qvæ sunt, Patrem genuisse dicit, qvod citat* Gerhardus T. I. L.C d. Trinit. t. 152. Cyrillus *negat, curiosos esse debere, qvomodo natus filius, & qvis modus geniti. Sufficere ad pietatem scire, qvòd unum solum filium DEus habeat.* Auth. exposit. Symboli *non fas esse ait servo de Natalibus Domini disputare.* Basilius *à Patre principiū filio, & juxta hoc majorem Patrem, ut Causam & principium, dicit.* Augustinus *nullum nomen satis explicare ait, quid ista tria, Pater, f. & Spir. S. in DEO sint. Loca plenius* in Method. d. Trinitate *allegabo. Ad talem moderationem si fides Christiana reducatur, & in mysticis alicubi sistatur, tutissimum censeo. Filius DDI ante secula ex Patre genitus. Qvando præcisè, & qvomodo, & an absolutè ab æterno, ignoro. Angeli & Archangeli nesciunt. Qvando Patri libuit. In eo sisto. Arianismos hinc eruere impiū in priscos illos Patres dico.*

3. *Ex* Recentioribus *similia multa adduci possunt.* Lutherus *multa in lumine gratiæ latere, qvæ demùm in lumine gloriæ patebunt,* l. d. ser. arb. dicit. *Ap.* Echardum Theol. Patr. C. I. Gerhardum aphor. Pract. Mentzerum, Chemnitium, Melanchtonem, & alios *eadem reperiuntur, ut* Tr. d. multipr. t. 91. 92. *allegavi, &* Meth. d. Trin. *ac* Lib. d. fid. Chr. *allegabo. Hic per chartæ finem finis esse cogitur.*

JEsu, flos matris Virginis,
Amor nostræ dulcedinis:
Tibi laus, honor numinis,
Regnum beatitudinis.

FINIS.